



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 2. Vtrum, qui ignorat, reservationem illam incurrat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

tunt. Secundò: perjurium, vel falsum testimonium. Tertiò: furum. Quartò: seditio in superiore, vel divisio à capite cum gravi damno Religionis. Quintò: detractio, & discordiarum seminatio inter Fratres. Sextò: accipere, vel mittere furtim litteras, materiam peccati mortalis continentes. Septimò: tacuisse impedimentum aliquod excludens à Societate, vel mentitum esse in examine ad ejus ingressum in grave Societatis incommodum. Octavo, quodlibet peccatum habens annexam excommunicationem in Bullis, aut decretis Societatis. Quæ omnia sigillatim explicat Palao ubi supra: alia verò, quæ in Ecclesia Pontifici, aliisve Prælati reservantur, poterunt per otium apud Doctores videri.

QVÆSTIO II.

Virum, qui ignorat reservationem, illam incurrat?

Duplicem reservationem apud Theologos invenio, aliam, quam pœnalem in odium peccati vocant; aliam, quam medicinalem, quæ ad bonam Ecclesiæ gubernationem infertur. Quoad primam, multorum opinio est, non incurri ab illam ignorante. Ita Thomas Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 32. nu. 18. talemque esse reservationem Sixti V. contra malè promotos ad ordines, & probabile putat Lugo de Poenitent. disp. 2. nu. 11. P. Petrus Hurtado 2. 2. som. 1. disp. 84. sect. 1. & ex Molina, & Ledesma videtur tenere Fagundez 2. præcep. Ecclesiæ, libr. 8. cap. 1. n. 28. Fundamentum delimitur ex probabili Doctorem sententia asserente, nullam pœnam incurri ab ignorante, etiam si confcio prohibitionis actus, cui est imposita. Quam cum Henriquez, Suarez, Navarro, Lopez, Vega, & Rodriguez tenet Thomas Sanchez supra num. 13. Imò ab incurfione pœnæ exculare ignorantiam, etiam mortaliter culpabilem, dummodo non sit ex malicia affectata, vel ex nimia negligentia, & tal, quæ dolo æquiparetur, tenet ex Portel, Sanchez, & alius, Diana 3. p. tract. 5. Miscellan. resol. 13.

2. Quoad reservationem vero aliam, quæ non pœna, sed medicina dici solet, communis Doctorum sententia affirmat, incurri etiam ab eo, qui illam ignorat. Ita Sanchez, Lugo, & Fagundez supra, & contrariam sententiam vocat improbabilem P. Petrus Hurtado loco citato. Probat, quia reservatio ista non est pœna, sed limitatio jurisdictionis ad absolvendum, quæ ad bonam Ecclesiæ gubernationem valde conducit; ignorantia autem poenitentis non potest tribuere jurisdictionem confessario.

3. Secunda sententia supponit, omnem reservationem esse pœnam. Ita sentit Paludanus in 4. dist. 34. quæst. 2. art. 1. Jacobus de Grassis som. 1. lib. 5. de adultis, consilio 3. nu. 13. Velochius de casibus reservatis, p. 2. quæst. 1. num. 203. & quæst. 17. num. 66. & alii, quos nomine suppressio, refert Hurtado ubi supra, quos sequi videtur Diana 2. part. tract. 1. Miscellan. resol. 1. Qui proinde tenentur dicere non incurri ab ignorante: & ita tradit ipse Diana part. 10. tract. 14. resol. 63. dicens esse satis probabile, pro quo adducit Navarrum, Gratium, & Januarium. Et novissimè aperit illam tenet Quintanaduennas in singul. tract. 3. de Poenitent. singul. 11. ubi inter alias observationes pro reservatis, sic inquit: "Omitto plures, quia pervia inter Doctores. Quarum prima erat, quod ignorantia reservatio-

nis, sive juris, sive facti, etiam si culpabilis sit, sit excusabilis, excusatur à reservatione." Quod iterum repetit & probat tom. 2. tract. 4. singul. 8. Quibus partim sentit Thomas Hurtado tom. 2. resol. 1. Miscellan. cap. 1. num. 1123. folio 323. ibi: "Diana part. 6. tract. 14. resol. 42. sentit esse probabile, id quod ego quippe à qua liber est ignorans invincibiliter." Nec longe sunt ab hac sententia qui reservationem, ad bonam Ecclesiæ gubernationem ordinatam, vocant pœnalem, & odiosam, ut Thomas Sanchez in Sum. lib. 5. quæst. 7. punct. 5. §. 4. num. 1. Reginaldus tom. 3. cap. 1. nu. 113. Coriolanus, Chapevilla, Naldus, Homobonus, & alii, apud Dianam 6. p. tract. 6. resol. 4. ubi etiam Ledesma apud Fagundez, supra, qui reservationem absolute vocat pœnam. Stant apertius curri ab ignorante illam, quod defendunt Navarrus, Sylvester, Angelus, & alii, apud Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 32. numer. 20. & ipse putat probabile, numer. 21.

4. Suadetur hæc sententia, quia formalitas medicinæ non destruit rationem pœnæ: illæ enim formalitates recte in eadem entitate compatiuntur, ut patet in poenitentia Sacramentali, quæ pœna, & medicina simul est, juxta Tridentin. & in excommunicatione, quæ, ut ait Sanchez n. 13. "ex una parte medicina, & ex altera est pœna: ergo bene habet reservationem esse medicinam ad Ecclesiæ rectam gubernationem conducentem, & simul esse pœnam. Unde argumentum sic conficitur. Excommunicatio quia rationem pœnæ participat, non incurritur ab ignorante illam, licet simul includat rationem medicinæ conducentis ad rectam Ecclesiæ gubernationem: Ergo reservatio, quia rationem pœnæ participat, non incurritur ab ignorante, licet simul includat rationem medicinæ conducentis ad rectam Ecclesiæ gubernationem. Nec contrariæ sententiæ fundamentum premere videtur, & in adversarios retorqueri potest, quia omnis reservatio, etiam illa, quæ absolvitur ut pœna, verè est absolutio jurisdictionis absolventis, & tamen ignorantia ejusmodi reservationis efficit, quod absolutio sit valida, impedient ablutionem jurisdictionis, ut ipsi fatentur, eo quod talis absolutio fuerit in pœnam: ergo idem de contrariatione, etiam medicinali dici poterit: quia omnis reservatio, ut ex dictis constat, rationem pœnæ participat. In hac sententiam valde inclinat Diana supra resol. 42. citata: verum quia contraria, inquit, est communis, fatetur, senon audeat illam cedere.

5. Cæterum licet præfata sententia probabilior, probabilior tamen existimo, reservationem simpliciter factam, quæ ad bonam Ecclesiæ gubernationem & populi Christiani disciplinam refertur, incurri quolibet, et si invincibiliter illam ignorante, & veor, quia opposita sententia solum fundatur in probabilitate opinionis asserentis, ignorantiamque ab ejus incurfione exculare, quæ quidem opinio, ut videtur est apud Doctores, solum procedit in pœna, cui primario convenit ratio pœnæ, & secundario ratio medicinæ, & non e contra. Pœna enim & punit delicta præterita, & præcaverit futurum, ne alia committantur: reservatio autem, et si pœnæ rationem continet, non tantum primario, sed secundario, ut fere universi Doctores fatentur apud Sanchez in Sum. lib. 2. cap. 4. num. 4. tenet expressè Fagundez supra num. 28. quæ tamen

primaria reservationis non est, ut puniat delicta, sed ut medeatur in posterum, ad quod necessarium est, ut medicina a prudentiori medico applicetur, idque ad prudentem Ecclesiæ gubernationem maxime conducit.

6. Sed nondum plenè exhausta videtur difficultas, nam juxta communem Doctorum sententiam, ut videre est apud Suarez *disput. 29. sect. 2. num. 8.* Sanchez *in Summ. lib. 2. cap. 8. numer. 5.* & Card. Lugo hic *disput. 20. sect. 2. num. 15.* Pontifex ferè nunquam reservat peccatum sine excommunicatione, & peccatum ratione censuræ reservatur. Unde non levis insurgit difficultas, nam si censura tantum est, quæ reservatur, non verò peccatum nisi ratione censuræ, ut volunt Durand. & Cajetan. apud Suarez *suprà*, & tenet expressè Trullench *in praxi Sacramentorum, lib. 4. cap. 10. dub. 2.* eo ipso, quod pœnitens habuerit ignorantiam censuræ, nullam reservationem incurrit, ac proinde à quolibet approbato poterit à peccato absolvi. Si verò non solum censuræ, sed etiam peccatum per se, & immediatè reservatum sit, ut existimant Thomas Sanchez, Suarez, & Lugo, parum ad rem facit, nam ut omnes Theologi fatentur, ita inter se connexa sunt peccatum, & censura, ut illud sine ista minime reservetur, ita ut sublata excommunicatione cujuscumque peccati Pontifici reservati, possit quilibet confessorius approbatus ab illo absolvi: ergo si pœnitens ignoraverit censuram peccati hæresis, verb. grat. non erit peccatum hæresis reservatum, quia licet pœnitens in tale peccatum inciderit, non tamen reservationem incurrit, utpotè censuram ignorans.

7. Sequela ista videtur mihi omnino tenenda, eamque de hæretico loquens (quod est valdè notandum) tenet expressè Thom. Sanchez *lib. 2. Sum. cap. 8. numer. 5. in fine.* Et cum Henriquez amplectitur Trullench *suprà cap. 10. citato, dub. 2. num. 2. in fine.* Ubi planè fatetur, eum, qui ratione ignorantia non incurrit censuram, non incurrit reservationem peccati. Et cum Vasquez, & alii idem tradit Palao *tom. 2. tractat. 23. punct. 15. §. 2.* Et cum Agidio, Granado, Layman, & Hurtado tenet Leander *disput. 12. quæst. 16.* Addit Croufers apud Dianam *6. part. tract. 6. Miscellan. resolut. 61.* ob hæresim occultam non incurrit excommunicationem; ex quo planè deducitur, juxta superius dicta, hæresim occultam non esse casum reservatum, sed posse à quovis approbato absolvi. Verum hæc doctrina Croufers est omnino falsa, & contra communem Doctorum; & gravi censura notanda.

8. Advertendum tamen est, inadvertentiam, seu oblivionem actualem excommunicationis, seu pœnæ, etiam excusare ab illarum incurfione, ut bene à puritate de ignorantia, probat Sanchez *lib. 4. Sum. cap. 12. num. 18.* & ex illo Diana *3. p. tract. 5. resolut. 41.* Oblivio enim, inadvertentia, & ignorantia invincibilis, sicut æquiparantur in ordine ad excusandum à culpa, ut cum Suarez, Azor, & aliis Theologis communiter tradit Sanchez *lib. 1. Sum. cap. 16. num. 8.* ita etiam in ordine ad excusandum à pœna, quod est maxime observandum ad plurimum casuum resolutionem. Hinc conjux incestuosus cum consanguinea uxoris in primo, aut secundo gradu, excusatur ab incurfione pœnæ privationis petendi debitum, non solum ob ignorantiam; sed etiam ob inadvertentiam, aut oblivionem actualem talis pœnæ, ut cum Porrel, & alii tradit Diana *3. p. tract. 5. resolut. 12. & part. 4. tract. 2. resolut. 36. & 85.* Et putat probabile Sanchez *lib. 9. de Matrimonio, disp. 32. num. 50.* Hinc etiam, qui

cumque sibi imponens pœnam sub conditione, si actionem aliquam efficiat, vel præceptum transgrediarur, excusatur à pœna, si eius inmemor delinquit, ut tradit Sanchez *lib. 4. Sum. cap. 22. citato.* Hinc denique pro nostro casu consequenter inferitur, oblivionem, seu inadvertentiam reservationis, etiam si conjunctam cum noticia prohibitionis actus externi, excusare ab incurfione reservationis, in opinione supra relata, universaliter asserente, ignorantiam pœnæ, quæcumque illa sit, excusare ab eius incurfione. Quod notare oportet pro reservatione censuratum, cujus noticia erit etiam necessaria juxta hanc opinionem.

QVÆSTIO III.

An dubium de peccato reservato tollat eius reservationem? & quid, si post absolutionem cesset dubium?

1. **S**uppono ex communi Doctorum, in Ecclesia esse potestatem reservandi peccata dubia, vel quia potest auferre ab inferioribus Sacerdotibus jurisdictionem ad absolvendum, quæ etiam ratione reservari possunt venialia, & mortalia semel confessa, vel quia potest obligare pœnitentem ad subjicienda clavibus peccata dubia coram superiore. Quod tenent communiter Doctores existimantes ejusmodi peccata esse materiam necessariam confessionis. Qua opinione supposita (licet nos contrariam probabilem esse docuerimus *disput. 1. quæst. 5. de integritate confessionis*) inquiri solet, an in dubio maneat casus reservatus.

2. Duplex potest esse dubium, vel facti; ut cum quis dubitat, an commiserit peccatum, quod habet annexam reservationem; vel juris, ut cum certus de peccato commisso, dubitat, an sit reservatum. De utroque dubio quæstio procedit. In dubio juris, eam proponit Thom. Sanchez *lib. 1. Summ. cap. 10. numer. 73.* & respondet, in ejusmodi dubio non censeri casum reservatum, pro quo citat Suarez, & Henriquez, & tanquam certum tenet cum Bonacina, Trullench *in praxi Sacramentorum, cap. 10. dub. 9. num. 3.* & supponit Quintanaduenas *tom. 1. tract. 3. de Pœnitent. singul. 11. & 18. num. 9.* In dubio autem facti proponitur à Cardin. de Lugo *disput. 20. num. 16.* & respondet similiter, in tali dubio non censendum casum reservatum, pro quo ultra Suarez, & Henriquez adducit Fillucium, & Hurtado, pluresque alios, quos refert Diana *4. part. tract. 3. resolut. 4.* Quibus cum Sanchez, & Bonacina consentit Trullench *suprà*, & est communis Doctorum sententia contra Frias, Armillam & Cordubam.

3. Probat communiter Doctores. Primò, quòd reservatio est odiosa, atque adeò ad casus tantum certos restringenda. Secundò, quia reservato voto castitatis, intelligitur de voto certo, & non de dubio, ut bene Sanchez *lib. 4. Sum. cap. 40. num. 26. & cap. 44. num. 3.* ergo reservato peccato mortali, intelligitur de peccato certo, & non de dubio. Præfata ratio non solum probat in dubio facti, sed etiam in dubio juris, quia pœnitens de peccato mortali certus, suam possidet libertatem ad confitendum cuilibet Sacerdoti, in mortalia jurisdictionem habenti. Ergo confessione certa privari non potest per dubium superveniens,